Nobilissime Vir,

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Humanitatis et benevolentiæ tuæ indefessæ memoria gratissima, quæ a primo favoris tui momento ad ultimum vitæ diem in animo meo vivet incolumis, suggerit mihi fiduciam quandam ingenuam ac liberalem effundendi in sinum tuum fide et taciturnitate spectatissimum, gravissimam insignis injuriæ ac infamiæ querelam. Visum enim est tandem aliquando hujus urbis magistratui, D. D. Buthij et Vasdemanni ardentiori impulsu, triste atque exitiosum de nomine ac fortunis meis consilium inire: me quippe rectoratu, quo jam per annos octo syncere ac fideliter, sine ulla mutationis suspicione aut voluntate, sum defunctus, promissi et meriti fide posthabita, ad æternam famæ et existimationis meæ ignominiam præcipitare; eique imponere hominem quendam sexaginta annos, aut plus, natum, qui se rectoratu Ultrajectensi, omnium celeberrimo, intra annum (ni fallor) quam inierat, dicitur abdicasse. Cujus indigni consilii atrocitate, tanquam inopinato fulmine perculsus, tota mente exsulo stupeoque: et cum me sodalis quorundam verbis, qui sæpius a me rogati, imprimis hoc arcanum perfricta fronte retulerunt, delusum et vecordem, quid mihi prius aut posterius faciendum sit, plane ignoro. Suadent tamen plurimi cives et fautores mei, tam insignem contumeliam tota mente atque animo meo exosi, ut ad Celsissimi Principis favoris asylum, quod tua fideli ope et commendatione mihi facile apertum iri credunt, sedibus remissis confugiam: ejusque fidem et auxilium ad rem meam constabiliendam, et malevolorum improbitatem retundendam, supplex implorem. Quod an mihi facere liceat, tuam Amplitudinem, quia per negotia scholastica coram non potui, per epistolam, modestiorem fortasse, quam doloris magnitudo postulabat, volui percontari: et vehementer etiam atque etiam rogare, ut honori

meæ

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4360

meæ, si per literas molestum fuerit, coram digneris renunciare, quid mihi in hac re faciendum pro tua prudentia singulari suadeas et horteris. Vale Vir Nobilissime, et me fideli tuo patrocinio ab omni ignominia immeritâ conserva ac defende. Dab. Bredæ 24. May. Ao. 1646.

Nobiliss. Amplitud. tuæ
cultor observantissimus
Adrianus Bubbenius.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4360

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4360

Nobiliſsimo, Ampliſsimo,
Clariſsimo, prudentiſsimo Viro,
D. Constantino Hugenio,
Equiti, Dno in Sulichem, et Illuſtriſs. Principi
Auriaco à Secretis.

Hagam Comitis

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Bubbenius) 1
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/4360